



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

1. Qvisnam dicetur manum violentam in clericum iniicere? Et quis verò excusetur ab incursione huius censuræ? Pro quibus in textu huius Resolutionis diuersi casus adducuntur. Ex p. 9. tract. 4. res. ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

TRACTATUS SECVNDVS

De Censura ob Clerici percussione, atque de ejus Absolutione.

RESOLVTIO PRIMA.

*Quisnam dicatur manum violentam in Clericum injicere?
Et quis verò excusetur ab incursione hujus censuræ?
Pro quibus in textu hujus Res. diversi casus adducuntur.
Ex p. 9. tr. 4. Ref. 17.*

In cap. Si quis, suadente, 17. quæst. 4. ita scribitur: si quis, suadente Diabolo, hujus sacrilegi reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subiacet. Et nullus Episcoporum presumat absolvere, (nisi mortis urgente periculo,) donec apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat. Fuitque hæc excommunicatio lata ab Innoc. II. in Concilio Lateranensi.

2. Et, quia materia ista est quotidiana, selectiores quæstiones ad elucidationem supradicti textus discutiam. Et ideo ad dubium propositum respondeo, quod necessarium est, in injuriam hanc in facto, seu opere consistentem, physicè contingere personam Ecclesiasticam, vel res adherentes illi; alioquin vim inferens, hac censura non erit ligatus: quia, cum violentas manus in Clericum non injecerit, hac censura vinciri non potest, quæ solum lata est contra injicientes violentas manus; & donec actio exterior non consummatur sub ea proprietate, quam verba legis requirunt, in censuram non incurritur: nam in poenalis verba accipienda sunt secundum propriam significationem, cap. Ex litteris de sponsalibus, l. Non aliter de legat. 3. & solum actionem exteriorem Ecclesia punit, cum ipsa de occultis non judicet c. Sicut ejus de sim. & c. Tua nos, §. fin. de sim. Vnde hac censura non ligatur ille, qui per sola verba contumeliosa in injuriam inferit Clerico. Nec iste, qui animo percutiendi proijcit in Clericum lapidem, si lapis, nec personam, nec vestes Clerico adherentes tangeret, quia physicè Clericum non percuteret. Debeturque hæc externa actio esse talis, ut ex vi sua sufficiat ad peccatum mortale: quoniam, cum Ecclesia solum actum exteriorem puniat, actus ipse debet esse mortalis: quia poena excommunicationis non afficit, dum minime adest peccatum mortale exteriore. Quapropter, si quis ita leviter percuteret Clericum, ut ex vi sua talis percussio non sit mortalis, sic percutiens non incurreret hanc censuram, quamvis habuerit animum percutiendi graviter ex quo constat, hoc esse intelligendum, quando percussio ex genere suo est ita parva, ut illato laico non sit mortalis, scilicet respectu ipsius percussoris: quamvis respectu intentionis mortalis fuerit. Quæ autem percussio dicenda sit parva, seu levis, inferius declarabo. Et quia violenta est majoris rei impetus, qui repelli non potest, l. 2. ff. de eo quod met. caus. violentas manus in aliquem injicimus, non solum quando illum percutimus; sed etiam quando ab eo aliquid violenter auferimus. Non sufficit tamen, ut in censuram incidamus, solus animus inferendi vim per supradicta: quamvis sufficiat ad rapinam committendam. Nec sufficit ablatio si fiat sine violentia, etiam si res, quæ auferitur, ipsius Clerici personæ adhæreat, ut puta, si quis ex loculo, quem gestat Clericus, occulte nummos tolleret, quamvis præcisio loculi in-

terveniat; talis enim rei ablatio, & præcisio non ad violentiam, sed ad furtum pertinet, & censura hæc non ob furtum, sed ob violentam manuum injectionem illaqueat. At, si quis violentiam inferendo, solummodo rem Clerico adherentem percuteret, puta, vestem, hac censura ligatur: quia violentia censetur facta personæ: & ita tenet Gloss. fin. in dicto cap. Si quis, suadente, & in capite. Si quis pulsatus, de poenitentia, distinctione prima. Et cum manus sit instrumentum aptius ad percutiendum, & violentiam inferendam, & frequentius hæc manu fiant, ideo textus de violenta manuum injectione solummodo verba facit; sed in illa comprehenduntur omnes corporis partes, quibus violentia inferri potest cujusmodi sunt dentes, brachia, pedes, genua, & alia. Nec violenta hæc manuum injectio, quoad effectum incurrendi in hanc censuram necessariò requiritur, ut immediate fiat; sed satis erit, si fiat aliquo instrumento mediante, dummodo instrumentum illud Clerici, vel Monachi personam, vel rem ei adherentem tangat: ut puta, si fiat ense, baculo, lapide, vel per asperisionem pulveris aquæ, vel salivæ, vel alterius rei: nam manu, sive alio membro sit, quidquid aliquo instrumento mediante ab ipsa manu, vel membro sit; & quia, juxta vulgarem regulam, qui est causa causæ, est causa causati. Et quoniam hæc violenta manuum injectio, quasi metaphora quedam est, qua omne corporale damnum significatur, cum violentia sine læsione corporali inferri possit, ut ex illo textu notat Panor. in c. Nuper, not. 3. de sent. excom. in hunc Canonem incidit, non solum qui violentas manus in Clericum injicit, sed etiam qui sine manuum injectione in corpus facta, aliquod nocumentum illi cum injuria inferit, vel causat; nimirum, detrudendo illum in carcerem, ut in cap. Nuper, & in cap. Contingit, l. primo, de sent. excom. nam etiam citra corporalem læsionem violentia sæpius circa Clericos nequitur perpetratur, ut dicit text. in d. cap. Nuper de sent. excom. Vnde fit, ut hac censura ligetur ille, qui Clericum in aliquo loco includit, ita ut inde, nisi cum pudore exire non possit; aut frænus equi manus admoveat, aut discindit cingulum, aut eum adeò furiosè persequitur, ut cogatur se præcipitare, aut aliud malum ad se liberandum subire, secus autem erit, si fugiens casu caderet. Imò, quia violentia non solum armis inferitur, ut in l. i. ff. de leg. Jul. de vi publ. sed etiam per omne id, quod potest nocere, arg. l. Armato, ff. ad leg. Jul. de vi publ. hac censura etiam illi ligantur, qui Clericum veneno necarent, vel molestiam illi inferrent, quamvis furtivè, & absque exteriori violentia hoc facerent. Et hæc omnia latè asserit & explicat Leone de censur. recoll. §. 2. n. 130. Qui n. 146. & 147. optimè observat, comprimentem pallium, seu tunicam Clerici, vel Religiosi, asserendo: Si non esses Clericus; & Religiosus, te caderem, incidere in censuram: sicut si quis impelleret in Clericum personam laicam, quæ Clericum cõprimeret, incurreret quidem in censuram; sed non laicus, qui proximè Clericum compressit: secus autem dicendum est de illo, qui deturparet portas, & fenestras Clerici apponendo ibi cornua, vel, ut vulgò dicitur, li Cornusel, vel, Magriata; talis enim non incurreret in censuram, ut notat idem Leone, n. 153.

Sup. hoc lege doctrinam §. not. seq. & inf. in ref. 9. §. 1. l. in 8. & vers. qui a qui animo.

Sup. hoc & seq. usque ad not. seq. lege inf. doctrinam §. 1. ref. 32. & vers. not. præteritæ hujus Res.

Sup. hoc & seq. usque annot. seq. lege doctrinam ref. & §. annot. præteritæ.

Sup. hoc inf. in primis lin. ref. 32.

Sup. hoc latè inf. in ref. 31.

Quis verò excusetur ab incursione hujus censuræ, dico, quod quoties ex circumstantia personæ percussæ, vel ex modo percussione, percussio non censetur graviter injuriosa clericali statui; locus huic censuræ non est. Ob circumstantiam personæ excusat Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. casu 2. §. Cum verò, pueros Clericos rixantes, & se invicem percutientes pugno, etiam in templo, ita ut sanguis e naribus eliciatur, quia plerumque hæc injuria inter ipsos levis censetur, tamen aliquando gravis esse solet, argum. cap. ult. de sent. excomm. quod ex circumstantiis colligendum est, ut bene advertit Coninch disp. 14. dub. 1 §. n. 190. Layman lib. 1. Summ. tr. 5. p. 2. cap. 5. n. 8. vers. Altera. Molina tract. 3. disp. 51. in fine. Ex modo percussione excusantur ab hac censura, primò, qui ex subita passione, animo non plenè advertente, vel à fortiori, causa joci, & ludi Clericum percutiunt: nam esto percussio aliàs gravis esset, modus quo contingit gravitatem diminuit, ne culpam mortalem attingat, néve censuram contrahat, argum. cap. 1. de sent. excomm. & docet Suarez disp. 22. sect. 1. n. 50. Molina tr. 3. disp. 51. n. 7. & 8. Coninch disp. 14. dub. 1 §. n. 190. Bonacina disp. 2. de cens. practico. q. 3. punct. 6. sect. 4. n. 3. Layman lib. 1. Summ. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8. & alij. Secundò, excusantur ignorantēs probabiliter Clericum esse quem percutiunt, quia hæc excommunicatio non propter percussione in iustam; sed propter percussione sacrilegam, statui clericali injuriosam, statuitur: at stante ignorantia probabilis Clericatus, cessat injuria ut, ut manifestè colligitur ex cap. Si vero el. 2. de sent. excomm. ubi excusatur ab excommunicatione percussor Clerici comam nutientis: quia probabiliter existimare poterat percussor Clericum non esse, ut multis relatis docet Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 41. quod ad eò verum est, ut, esto, sic Clericum ignoranter percutientes darent operam rei illicitæ, nullatenus in hanc censuram incurrerent; qui comparatione status clericalis immunes à culpa sunt: ut bene tradit Navarrus c. 27. n. 80. Covarruvias cap. Alma mater. 1. p. §. 10. n. 16. Molina disp. 53. n. 1. quiniò, esto, animum habent percutiendi Clericum: si tamen probabiliter ignorabant Clericum esse, quem percutiunt, ab hac excommunicatione liberantur, (quidquid in contrarium dicat Covarruvias disto §. 10. n. 15.) quia non ob parvum effectum hæc injungitur excommunicatio, sed ob externam sacrilegam manuum injectionem. Vt notavit Molina dista disp. 53. n. 2. & 3. Suarez disp. 22. sect. 1. n. 54. Coninch dub. 1 §. n. 197. quòd si Joannem Clericum credas te percutere; at percutis Paulum Clericum: excommunicatione innodaris: quia hæc non imponitur ob percussione hujus vel illius, sed ob Clerici voluntariam percussione. At eo casu Clericum percusit voluntariè, cum percussus habitum, & tonsuram clericalem gesserit, & verè Clericus sit: tamen non sit is Clericus, quem tu percutere intendebas. Secus esset, si Paulus percussus nullatenus se Clericum repræsentaret: eò quod in habitu laicali incedebat, quo Ioannes Clericus utebatur: quia ea actio exterior non est voluntariè sacrilega, & clericali statui injuriosa: quippe invincibiliter ignotas Clericum esse, quem percusisti, casu, & quod Ioannes non sit, quem percutere intendebas. Vt rectè tradit Molina disp. 53. n. 2. Layman lib. 1. Summ. tr. 5. part. 2. c. 5. n. 8. Coninch disp. 14. dub. 1 §. in fine. Suarez disp. 22. sect. 1. n. 54. Et hæc sufficiat generaliter dixisse. Vnde ad casus particulares deveniamus.

RESOL. II.

An in percussione Clerici detur parvitas materiæ ad ex-

cusandam excommunicationem, licet facta fuerit injuriosius pravo animo, & mortaliter peccaminosa? Idem dicendum est de quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum est tantum veniale, & leve, licet internum fuerit mortale. Ex part. 5. tr. 5. Ref. 65.

§. 1. **R**espondeo affirmativè cum Porcel in dubio Regular. ver. excommunicatio, n. 11. ubique ait. Percussit quis Clericum pravo animo; ita ut ex parte operis percussio fuit levis, & venialis, an ob talem percussione incurratur excommunicatio? & respondet negativè, & addit hoc idem dicendum esse quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum fuit tantum veniale, & leve, licet internum fuerit mortale: & ratio est, quia Ecclesia non excommunicat actus externos, sed externos, & requiritur ut actus externus sit de se gravis. Ita Porcel, qui citat pro hac sententia Sanchez in summa tom. 1. lib. 2. c. 8. n. 7.

RESOL. III.

An si quis percuteret Clericum pugno, vel baculo non, vel altero idem, incurrat in censuram Canonis, si quis ludente Diabolo?

Et quam parvitas materiæ excuset ab incurfione hujus censuræ pro percussione Clerici?

Et docetur, quod si aliquis pugno percuteret Clericum in Schola publica, ista levis percussio ratione loci efficitur gravis, & ideo talis percussio in hoc casu non posset absolvi ab Episcopo, sed accedere debet ad Sedem Apostolicam.

Et cursum alij diverfij casus adducuntur pro percussione Clerici tangente injuriosè illum spue, aqua, pio, guttore; vel si quis eriperet de manu Clerici violenter scripturam, librum, vel ejiceret de capite ejus virrum, aut tangit pectus, vel tunicam, &c. Ex part. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 38. alias 36.

§. 1. **N**egativè respondet Marcus Vidal, in Area Theologia Moralis, tit. de Censuris, inquisit. 5. num. 3. & seqq. ubi firmat hanc conclusionem, ut quilibet Confessarius etiam non privilegiatus, possit in Conscientiæ foro absolvere Clerici Percussorem, quando percussio est levis ex seipsa, etiam consideratis circumstantiis omnibus, quamvis aliàs ex prava intentione percutientis, sit peccatum mortale. Probatur; quia datur parvitas materiæ excusans ab Excommunicatione in Clerici percussione. Etiam si habetur prava intentio: ergò habetur hæc parvitas materiæ, quando percussio est levis; & inferat tantum parvum nocumentum, sicut id verificatur in furto & in quolibet alio opere admittente parvitatem materiæ: ergo quando percussio est levis secundum se nunquam incurratur Excommunicatio. Ideo qui percutit Clericum cum baculo leviter, palma, pugno, uno, vel altero idem, & his similibus, quamvis effectus odij, & pravo animo, non incurrat Excommunicationem Canonis, si quis, nam hujusmodi percussiones censentur secundum se leves, cum non inferant gravem injuriam, neque grave nocumentum.

2. Sed obijciunt: Percussio Clerici baculo, palma, pugno, arundine, & hujusmodi non dicitur levis, quia fit sine mortali peccato, sed respectu enormis levis censetur: ergo cum hæc percussio, etiam quoad externam actionem sit culpa mortalis, sequitur quod per illam contrahitur excommunicatio Canonis si quis, ac ideo non potest absolvi à quolibet Confessario: igitur facta Conclusio.